

- tot peccata in hac re ostendi'. nam iam primum, si meum
 635 imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit,
 non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.
 at id omitto : misericordia, animu' maternus : sino.
 quam bene vero abs te prospectumst quod voluisti cogita : 25
 nempe anui illi prodita abs te filiastrat planissime,
 640 per te vel uti quaestum faceret vel uti veniret palam.
 credo, id cogitasti : "quidvis satis est dum vivat modo."
 quid cū illis agas qui neque ius neque bonum atque aequom
 sciunt,
 meliu' peiu', prosit obsit, nil vident nisi quod lubet? 30
SO. mi Chreme, peccavi, fateor : vincor. nunc hoc te
 obsecro,
 645 quanto tuos est animu' natu gravior, ignoscentior,
 ut meaē stultitiae in iustitia tuā sit aliquid praesidi.
CH. scilicet equidem istuc factum ignoscam ; verum, So-
 strata,
 male docet te mea facilitas multa. sed istuc quidquid est 35
 quā hōc occeptumst causa loquere. *SO.* ut stultae et
 misere omnes sumus
 650 religiosae, quom exponendam dō illi, de digito anulum
 detraho et eum dico ut una cum puella exponeret :
 si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
CH. istuc recte : conservasti tē atque illam. *SO.* is hic est 40
 anulus.
CH. unde habes? *SO.* quam Bacchi' secum adduxit
 adolescentulam, *SY.* hem.
 655 *CH.* quid illa narrat? *SO.* ea lavatum dum it, servandum
 mihi dedit.